



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

27. Augusti. Si nunc moriendum foret quid nobis fieret? quam rationem opum, gratiarum tot, & sociorum per te periturorum dabis? S. Ignat. ad eund.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

O quàm serò sapient isti ! Ergo erravi-
mus ! sed pœnitentiã sera vix est vera ; lon-
gioris votum est vitæ, non melioris ; itã
vive, ne te pœniteat ; sic age, ut nec mo-
ri timeas, nec vivere erubescas.

27. Augusti.

*Si nunc moriendum foret. quid nobis fieret?
quam rationem opum, gratiarum tot, &
sociorum per te periturorum dabis ? S.
S. Ignat. ad eund.*

Infelix, qui tum primùm inire rationes
cogitat, cum abeundum est. Mors in-
stat ex insidiis, repenti obruet ; Deus, qui
hodie veniam offert, crastinum non pro-
misit.

Talis ducenda est vita, quæ perpetua
sit ad mortem præparatio, nihil eò diffe-
rendum, ubi conatus nihil proficiunt.
Ignota nobis suprema est vitæ hora, ut nul-
lã non stemus accincti.

Mortem tanquam rem procul à nobis
distantem cogitamus, cum à tergo insistat,
& sinè muneris, sinè ætatis discrimine, ni-
hil minùs opinantem tollat è medio.

Qui bene vult mori, nunc mori incipiat,
omnia quotidie ad mortem disponat ; ubi

fata instant, vires, sensus, omnia deficient,
& nihil minùs fit, quàm quod eò distu-
listi. Justâ Dei pœnâ, ut qui noluit, dum
posset, non possit, dum vellet.

28. Augusti,

*Jam metum omnem tollit demon, ne cadas,
nunc auget, ut cedas, utrumque in pro-
niciem tuam. S. Ignat. apud Nolar.*

Versipellis artifex! dum tentat, delicti
magnitudinem auget, ut in despera-
tionem inducat. Sic mille artium magister
nobis illudit.

Innocentia hæctenus acta solatii tibi
materia sit, non præfidentia; nullus non
innocens fuit, qui nunc ardet in inferno;
non esse, sed mansisse innocentem, metu
absolvit.

Novit tentator stygius, animæ pretium,
pro qua tam sollicitus est obtinenda. Nisi
pretiosa foret, orexim illi non moveret.
Pudeat nos socordia nostræ, dum minùs
pro salvanda, quàm ille perdenda anima,
solliciti sumus.

Quò thesaurus major, eò potior sit cu-
stodia. Æterna est anima, pro qua cælum
pugnat, & infernus; timor ei, ac præfiden-
tia